

B A V A R I A .

BAVARIA ab Auaribus Hunorum reliquiis, qui Noricis expulsis in ea terra consedere, adiecta littera appellatur. Boiaria etiam à Boijs Cisalpinæ Galliæ populis hoc loco aliquando moratis, dicitur: Noricum olim fuit, & Danubio insigni fluuio ex Sueuia profluente irrigatur. Nulla Germaniæ Prouincia, pluribus, cultioribusque illustratur Urbibus. Saltzburga, quæ olim Iuuauia fuisse creditur, Metropolis. Hæc Regio, priusquam in Prouinciam redigeretur, à proprio Rege, ad Arnulphi vsque Imperatoris tempora, administrata est; vt quidam scribunt: deinde Duces habere cœpit; hodieque tenet. Regio ipsa, præterquam vbi Australior est, non feritur. Nemorosa multum est, & montosa. Sues glandibus, syluestribusque pomis, tanta copia nutrit, vt veluti Hungaria boues, ita hæc sues ceteris Europæ nationibus largè suppeditet. Gens ipsa vestitu vt plurimum flauo colore amicitur: ocreis libentius quam caligis calciatur. Non est hodie deserta, vt Strabonis tempore fuit, sed cultissima; magnas & superbas Ciuitates habens, & Oppida nobilissima, quorum splendorem nescimus quæ in tota Europa vincere possent. Magna copia frumenti circa Ratisponam, & Landhutam: at vinum in paucis crescit locis, idque agreste. Sed nobilia importantur ex Alsatia, & Franconia, Athesi, & Neccaro fluminib., vicissimque sal, cuius magna ibi paratur copia, effertur. Monacum Vrbs ad ripam Isaræ fluuij sita, inter Ciuitates Principum in Germania est præclarissima, vbi Principes Bauariæ nostro æuo residere solent: ibique semper Leones nutriunt: solentque nonnunquam Leenæ ibi parere catulos. Marcus quidam, discipulus S. Pauli, hanc Regionem ad Christianam fidem conuertit. Primus Episcopus Bauariæ fuit in Laureaco, vt ex veteribus colligitur litteris; fuitque tunc Laureacum ingens & potens Ciuitas, sita in confluentia Eni & Danubij. Sed Principes Bauariæ transtulerunt eò in Ciuitatem Patauiensem: & Carolus Magnus rursus à Patauio Saltzburgum, vbi hodie est. Hæc apud Munsterum. Plura apud Pium. II. Sed qui omnia, quæ ad huius descriptionem desiderari possint, velit, legat Ioannis Auentini diligentissimi historici Boiorum Annales.



SEPTENTRIO

GERMANIAE MAGNAE PARS.

VINDELICI vocantur à Grecis Latineque au foribus, qui vtram que Bavariam inter Danubium Oenum & Iccam fluvium habitant.

BAVARIA SUPERIOR

NORICVM ET NORICOS vocant scriptores Bavariam cis Oenum fluvium

Tipus VINDELICIAE SIVE VTRIVSQUE, BAVARIAE, SECUNDVM antiquam & recentiore situm, ab Joanne Suenino olim descriptus, Principibusque eiusdem regionis dedicatus, atque Landshuti editus Anno à Christo nato. 1533.

MERIDIES.



